

κακῶν ἀναίτιος, αἴτιος εὐπραγίας καλλίστος, ἀπλῆν, ἀληθές,
 Ipsum bonum, Idea boni, Rex generis & loci invisibilis, Genitor Solis,
 Ultra substantiam, Principium Universitatis, A quo est esse, & sub-
 stantia his quæ noscuntur, Bonorum autor, malorum non autor, felici-
 tatis prosperitatis autor, pulcherrimus, optimus, simplex, verus. Ut
 plura non enumerem. Quæ quidem varia nomina ideò adhi-
 bentur, ut multa variaq; bona à divina bonitate largissimè pro-
 fluentia declararent, quemadmodum loquitur MARSILIUS FICI-
 NUS *Comm. in Pseudo Dionys. de divin. Nom.* quem vide. Præprimis
 autem consideratione dignum est, quod PLATO in *Timæo* mundi
 exordium aggrediens hanc præmittat divisionem: *Aliud esse*
 τὸ ὄν, ipsum quod est, aliud τὸ γινόμενον, id quod fit. Quid enim
 aliud τὸ ὄν significat, quam istud Tetragrammaton, à Græcis ὁ ἄν
 explicatum, solo ab hoc genere distinctum? Quæ variatio jure
 quidem duabus de causis facta videtur AUGUSTINO STEUCHO,
 tum quod Neutrum genus non est apud Hebræos, tum quia videtur esse
 plenius, dicere DEum Ipsum esse, ut totam existendi plenitudinem no-
 men complectatur, quàm τὸ ὄντα, i. e. existentem. Plus enim signifi-
 cant ipsarum nomina naturarum, quàm derivata ab illis. Ut qui di-
 citur vita, non vitalis: salus, non salutaris: & de malis scelera, potius
 quàm scelerati: & portentum magis ac portentosum, libr. III. de per-
 enni *Philosophia* c. 7. Sed de his satis.

7. Verum enim verò utut DEum nobis incomprehen-
 sibilem dicat PLATO, inter ejus tamen definitiones, sub finem Ope-
rum, ea Dei invenitur definitio, sive malis descriptionem dicere,
 quæ sic habet. Θεὸς ζῶν ἀθάνατον, αὐταρκὲς πρὸς εὐδαιμονίαν,
 ἄσῳ ἀίδιος, τῆς τ' ἀγαθῆς φύσεως αἰτία: DEus est animal immor-
 tale, ad beatè vivendum se ipso contentum: vis sempiterna, & bonæ na-
 turæ causa. Quæ quidem definitio licet nævis suis laboret, (quis
 enim perfectam ab alio nisi ipso Deo perfectissimè se cognoscē-
 te poterit expectare?) non omninò tamen rejicienda videtur.
 Siquidem apud PLATONEM animalis vox Spiritibus quoq; attri-
buitur, quod cuius Scripta legenti non potest non esse ma-
 nifestissimum, eò quod ad perfectissimum vivendi genus signi-
 ficandum convenientius vocabulum non occurrebat. Imò